

DISPUTATIO X.

DE BONITATE ET MALITIA ACCIDENTALI
EX CIRCUMSTANTIIS.

ARTICULUS I.

Quid sit bonitas, et malitia accidentalis, et quando circumstantia censetur dare speciem essentialem, vel accidentalem?

I. Plura de circumstantiis egimus sparsim; tum his duabus disputationibus præcedentibus, præsertim disp. VIII, art. IV; tum in notabilibus circa quæstionem septimam. Non solum intendimus quid sit bonitas, vel malitia accidentalis resultans in actu ex circumstantiis, et quando dat speciem, vel solum additionem, seu aggravationem aliquam, vel diminutionem, et quid requiratur ut circumstantia talem bonitatem, vel malitiam præbeat.

II. Circa hoc autem veniunt explicandæ duæ regulæ D. Thomæ in articulo X et XI hujus quæstionis XVIII, ex quibus pendent omnes istæ difficultates. Prima regula est in articulo decimo. Circumstantia potest dare speciem boni, vel mali, aliquando accidentalem, quæ præsupponat aliam priorem constitutivam, et specificativam actus; aliquando essentialem transeundo in conditionem, munusque objecti. Tunc autem circumstantia est constitutiva speciei moralis, quando respicit specialem ordinem rationis, vel pro, vel contra. Quomodo autem species ista, quam dat circumstantia speciali ordine ad rationem possit aliquando esse accidentalis ipsi actui etiam in genere moris, aliquando vero essentialis in eodem genere, dicemus in

speciali dubio. Nam quod circumstantia sit accidentalis actui non præcise considerato in ipsa entitate physica, sed etiam in genere morali, supra ostendimus circa quæstionem septimam. Et de se patet, quia in genere morali comparatione ad entitatem non solum circumstantia actus, sed ipsa etiam prima species moralis objecti accidentalis est entitati physicae.

III. Secunda regula habetur in articulo undecimo et est explicativa præcedentis ad cognoscendum, quando circumstantia respicit specialem ordinem rationis, et quando non, et est talis. Quando circumstantia non respicit ordinem rationis, nisi aliqua prius supposita ratione, vel conditione per quam actus habeat malitiam, vel bonitatem, tunc illa circumstantia diversificat speciem peccati, potest tamen aggravare, vel diminuere malitiam, aut bonitatem, ut patet in circumstantia quantitatis, aut durationis. Nam tollere aliena est per se malum, sed tollere in tanta quantitate non dat speciem, sed aggravationem, quia quantitas non dicit rationem specialem mali, nisi præsupposita alia priori ratione mala super quam cadat, verbi gratia tollere aliena. Et idem est de duratione.

IV. In his duabus regulis pendet totum, quod pertinet ad bonitatem, vel malitiam ortam ex circumstantiis: nam circumstantiæ non possunt dare malitiam, aut bonitatem, nisi vel præbendo aliquam speciem, sive essentialem, sive accidentalem actui, vel solum aggravando, aut minuendo præcedentem bonitatem, vel malitiam. Et prima regula deservit pro primo modo quo circumstantia dat bonitatem, aut malitiam; secunda regula pro secundo. In hoc ergo articulo agemus de prima regula, et modo, quo circumstantia dat speciem, in sequenti de secunda

regula, et modo, quo circumstantia dat aggravationem, vel diminutionem in bono, aut malo.

V. Igitur primam regulam, et modum dandi speciem in circumstantia tractabimus per diversas quæstiunculas, seu dubiola.

QUOMODO CIRCUMSTANTIA ALIQUANDO DAT SPECIEM ESSENTIALEM, ALIQUANDO ACCIDENTALEM IN GENERE MORIS?

VI. Primo inquirens, quomodo circumstantia possit aliquando dare accidentalem speciem, aliquando essentialem in eodem genere moris, respondetur quod D. Thomas in articulo decimo hujus quæstionis XVIII reducit rationem hujus ad differentiam, quæ est inter res naturales, et artificiales ex una parte, et morales ex alia. Licet enim omnes accipiant speciem a forma, tamen naturalia habent determinationem ad unum ex ipsa proprietate naturæ, quia proprium naturæ est determinate operari, et non suspendi a se, nec indifferenter se habere. Ars etiam in hoc imitatur naturam, quia per determinatas, et certas vias procedit ad effectum artis induendum. Unde videmus, quod ars addiscitur sicut doctrina, et scientia, tradendo certas, ac determinatas regulas quibus artefactum fiat, licet in applicatione earum propter contingentiam materiæ, aliquando oporteat variari, ideoque in hac applicatione ars aliquando utitur consilio sicut dicit philosophus in tertio ethicorum, cap. III, quod ars medicinalis, et navigatoria utuntur consilio, quod ideo est quia in his artibus propter incertitudinem eorum, quibus pervenitur ad finem, consilium necessarium est, ut ait D. Thomas 2-2, quæst. XLVII, art. IV ad secundum. Per se tamen lo-

quando regulæ artis determinatæ sunt, quia non dirigunt actum voluntarium, nec a voluntatis rectificatione dependent, sed a solo intellectu disponente, et ordinante effectus artificiosos juxta id quod requiritur ad finem artis.

VII. Cæterum in moralibus, et quæ fiunt per deliberationem rationis non fit processus, et operatio secundum determinatas vias: sed juxta rerum occurrentias, et varietates, in quibus aliquando potest deservire pro medio ad aliquem finem, id quod secundum aliam considerationem potest esse finis, et specialiter a ratione ordinari, sicut aliquando potest furtum appeti ut medium opportunum ad adulterium, aliquando vero e contra adulterium judicari opportunum ad furandum, vel vindicandum, et sic appeti ut medium. Et eadem ratione id quod est accessorium uni potest respectu alterius induere rationem principalis, sicut furtum potest habere pro accessoria circumstantia locum sacrum, et rursum potest locus sacer esse principaliter intentus a voluntate, ut si velit esse sacrilega voluntas, et contemptum facere loco sacro, ac per hoc eligat furari in ipso ut sacrilegium faciat.

VIII. Sic ergo eadem res modo potest habere principalem conditionem objecti, modo accessoriam si consideretur in ratione præcisa objecti appetibilis, quia voluntas potest sub una consideratione appetere aliquid ut finem et principale objectum sistendo in illo, et sub alia potest appetere rem illam ut medium, et ut conducens ad aliud, vel etiam totaliter tale objectum relinquere, et abominari, similiter etiam in ratione morali, seu regulabili a ratione potest accipi aliquid ut dicens specialem ordinem, et repugnantiam ad rationem per se primo, et ratione sui, vel solum accessorie, et ratione

alteri, ita quod licet de illo etiam ordinet, ac disponat ratio, tamen hoc facit præsupponendo aliquid prius regulatum, et ordinatum a ratione super quod additur hoc secundum. Et ita sicut aliquid est volitum et appetibile primario, aliud consecutive et secundario, ita aliquid est per se primo regulatum a ratione, aliud secundario, et accessorie. Et sicut voluntas potest eandem rem modo accipere ut finem, et principale objectum, modo ut medium, vel ut consecutum, et accessorium secundum quod diversos respectus in ea considerat, ita in linea morali, seu regulabili potest ratio modo accipere rem aliquam, et disponere, atque ordinare de illa tamquam de principali, modo tamquam de accessoria, aut consecuta. Et secundum quod in illo considerat specialem ordinem, vel repugnantiam ad ipsam rationem regulantem, accipitur ut specificans actum moralem ut moralem, seu dans speciem illi. Si vero considerat in illo aliquid consecutum, seu accessorium ad primam et specialem regulationem, solum dat aliquid accidentale in genere, et linea morali.

IX. Sed inquires, quid requiritur ut circumstantia habeat specialem ordinem, aut repugnantiam ad rationem, et quis est iste specialis ordo. Nam vel habet illum specialem ordinem induendo rationem objecti, vel manendo extra rationem objecti, et in ratione circumstantiæ. Si primum, jam non loquimur de circumstantia dante speciem, sed de objecto, quia hoc ipso, quod habet specialem ordinem ad rationem non est circumstantia, sed objectum. De objecto autem quod det speciem non est dubium, idque jam determinatum fuerat supra articulo secundo; modo autem de circumstantiis loquimur dantibus speciem, non de objecto. Et tunc est difficultas,

quomodo tale objectum aliquando det speciem essentialem, aliquando accidentalem, quia objectum ut objectum nunquam dat accidentalem speciem, quia semper se habet ut primum specificans respectu actus; circumstantia autem aliquando dat speciem accidentalem, aliquando essentialem; quomodo ergo utrumque hoc facit induendo rationem objecti. Si autem hic specialis ordo, vel repugnantia ad rationem convenit circumstantiæ non ut induit rationem objecti, sed ut manet circumstantia, nunquam dabit speciem actui, quia de ratione circumstantiæ est quod supponat speciem, et objectum, illique accidentaliter adveniat; ergo non dat illam. Et rursus instat eadem difficultas, quomodo aliquando dat speciem essentialem, et quomodo accidentalem, si supponitur non esse objectum, nec dare speciem in quantum circumstantia.

X. Respondetur expresse docere D. Thomam in articulo decimo quæst. xviii, quod circumstantia potest dare speciem actui: « In quantum id quod prius considerabatur ut circumstantia, nunc consideratur ut principalis conditio objecti rationi repugnans: » et solutione ad primum inquit: « Quod circumstantia secundum quod dat speciem actui, consideratur ut quædam conditio objecti (sicut dictum est) et quasi quædam specifica differentia ejus. » Sic ergo non dicitur circumstantia dare speciem nisi induat rationem objecti; tunc autem induit rationem objecti cum taliter ordinatur a ratione, et regulatur ab ipsa, quod consideratur ut principaliter, et per se regulatum, vel regulabile, non ut quid alteri adjectum, et solum ex præsuppositione alterius regulabile. Quod enim per se primo, et directe regulandum respicitur, quasi substantiale, et specificum est, quia per

se, et ratione sui id habet, quod autem ut adhærens alteri, et præsupponens aliquid prius cui adjungatur, illud ad modum accidentis se habet, et consequenter manet in ratione puræ circumstantiæ, quæ in genere morali ut accidens se habet. Quare licet certum sit quod in moralibus objectum specificat, idque jam a D. Thoma tractatum fuerat articulo secundo tamen quod circumstantia possit induere rationem objecti, etsi speciem dare, hic non erat discussum in illo articulo et indigebat specialiter explicari. Et hoc fecit D. Thomas in hoc articulo decimo, ostendens quomodo circumstantia possit speciem dare, scilicet non manendo in ratione circumstantiæ, id est, per modum accidentis se habens, et ut conjuncta, seu adhærens alteri priori rationi præsuppositæ, sed ut per se regulata, et ordinem per se, vel repugnantiam habens ad regulas rationis, non ratione alterius.

XI. Sed tunc urget secunda difficultas, quomodo circumstantia sic induens rationem objecti possit aliquando dare speciem accidentalem, cum objectum semper det essentialem. Respondetur non esse negandum aliquando concurrere in eodem actu diversas species malitiæ, aut bonitatis non subordinatas inter se, sed disparatas, ut fatetur D. Thomas in hac quæstione xviii, art. vii, et articulo x, ad tertium. Et hoc patet in eo qui eodem actu committit furtum, et sacrilegium, ut qui furatur in loco sacro, aut qui fornicatur cum persona sacra, aut ille qui furatur ut mœchetur, vel e contra, talis actus habet plures malitias specie diversas, seu plures species malitiæ. Et tamen quando sic concurrunt plures species in eodem actu, non possunt omnes esse essentielles in eadem linea morali, cum in aliquo genere seu linea repugnet idem posse plures essentias habere, esset

enim unum et plura: unum quia sic supponitur; plura, quia nihil sic plurificat, et dividit rem aliquam, quam pluralitas essentiæ. Oportet ergo quod pluribus speciebus concurrentibus, una solum sit essentialis, aliæ vero accidentales. Unde dicit S. Thomas citato articulo decimo ad tertium: « Quod non oportet, licet sint multæ circumstantiæ unius actus, quod unus actus sit in pluribus speciebus, licet etiam non sit inconveniens, quod unus actus moralis sit in pluribus speciebus moris etiam disparatis, ut dictum est. » Ubi in prioribus verbis negat S. Thomas poni actum in pluribus speciebus ex vi circumstantiarum, id est, in pluribus essentialibus: in posterioribus autem fatetur esse in pluribus speciebus disparatis, intelligendo de pluribus accidentalibus.

XII. Dico ergo, quod quotiescumque circumstantia est talis, quæ si sola esset, sufficeret dare speciem, quia de se fundat, et importat specialem ordinem, vel repugnantiam ad rationem, sed tamen ex voluntate operantis, aut ex modo operandi adjungitur alteri priori rationi de se etiam sufficienti dare speciem moralem, tunc illa secunda dat speciem accidentalem, et prima essentialem, quia licet qualibet ex istis rationibus, seu motivis si seorsum sumatur sit sufficiens dare speciem, tamen si voluntas illas simul conjungit in uno actu, solum prima, et immediata habebit rationem specificativi essentialis, exercebitque munus objecti specificantis, reliquæ non habebunt rationem objecti specificantis, sed solum circumstantiæ; dant tamen speciem accidentalem, et non solum aggravant intra speciem priorem, quia malitia quam præbent de se est sufficiens esse objectum, et dare speciem, et constituere actum, sed per accidens, quia in tali actu prima non est, non cons-

tituit essentialem speciem, sed remanet accidentalis. Et hoc frequenter potest facere voluntas, quia prout sibi visum fuerit potest habere pro principali voluto, id quod postea habeat pro accessorio, vel e contra. Si vero aliqua circumstantia fuerit talis, quod per se solam non possit dare speciem, seu constituere, sed semper et necessario moralizat actum præsupponendo aliquam priorem rationem super quam cadat, et non aliter, talis circumstantia non dat speciem diversam, etiam accidentalem, sed aggravationem, vel diminutionem intra eandem.

XIII. Exempla quibus totum hoc comprobatur sunt in promptu. Nam (ut jam supra diximus) qui furatur in loco sacro habet malitiam furti ex objecto proximo, atque adeo ista malitia est illi actui prima, et essentialis in genere morali, habet etiam malitiam sacrilegii, quæ non solum est aggravativa intra latitudinem, et speciem furti, sed præbet illi aliam speciem distinctam, quæ est species sacrilegii, quam ideo vocamus speciem, quia per se solam, etiamsi non daretur furtum, esset constitutiva malitiæ, et essentialem speciem daret, sed tamen quia in illo actu supponit jam speciem mali constitutam non præbet speciem essentialem, sed accidentalem, faciens circumstantiam ex illa malitia, quæ per se solam sufficeret speciem constituere. Et idem est quando quis facit adulterium, ut vindicetur, vel furatur ut mœchetur, et quoties ponitur pro circumstantia, id quod alias de se sufficeret speciem constituere, si constitutam non supponeret. At vero quando quis furatur magnam quantitatem, puta centum, aut quando perseverat multo tempore in peccato, vel cum magna intensione, talis circumstantia quantitatis, aut temporis, aut intensionis non dant speciem actui etiam

accidentalem, sed aggravant eandem speciem, quia quantitas, duratio, aut intensio per se sumptæ, et sine præsuppositione alicujus mali, puta ablationis rei alienæ, aut alterius peccati non constituunt speciem mali.

XIV. Quod si instes: Nam magnificentia, et magnanimitas sunt speciales virtutes, quia per se tendunt in magnum sub ratione magni, magnanimitas quidem in magnos honores, magnificentia autem in magnos sumptus, ita quod ista conditio magni intenta per se ab his virtutibus facit illas esse virtutes speciales; ut patet in 2-2, quæst. cxxix, articulo iv, et quæst. cxxxiv, articulo ii. Et perseverantia est specialis virtus, quia intendit per se diurnitatem in operando, quod in reliquis virtutibus est circumstantia durationis, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. cxxxvii, articulo i. Ergo falso dicimus quod quantitas alicujus materiæ, aut duratio, vel diurnitas temporis sit solum circumstantia aggravativa, nunquam autem det speciem, cum de se possit esse specialiter intenta, et sic specialem virtutem constituere, aut etiam specialem malitiam.

XV. Respondetur quod ut sumitur ex D. Thoma, quæst. cxxxiv citata, articulo ii ad primum et secundum, et ex Cajetano ibi et super quæstionem cxxix, articulo iv, magnitudo, seu quantitas virtutis, seu in materia virtutis dupliciter potest accipi. Primo, ut est quoddam accidens, seu conditio consecuta ad quamcumque materiam virtutis, seu ad quamlibet rem, quælibet enim res dum crescit fit magna, et quælibet virtus si perficitur potest facere magna in sua specie. Et sicut parva et magna aqua non differunt specie, sed solum accidentaliter, ita parva et magna virtus, et hoc modo quantitas in virtute est circum-

stantia, et conditio. Alio modo magnitudo, seu quantitas potest sumi non ut consequens ad materiam, sed ut formaliter constituens specialem rationem ardui, quæ ex ipsa rei magnitudine deterret, et arduitatem constituit. Et ideo in passionibus irascibilis, quæ sunt circa arduum et in virtutibus, quæ illas moderantur potest ipsa magnitudo formaliter intendi, non propter præcisam rationem quantitatis, quam addit, sed propter specialem rationem ardui, quam constituit in illa materia. Et tunc per se, et non solum ratione sui præsuppositi dicit ordinem ad rationem, quatenus præbet ei specialem materiam vincendam, et dirigendam, scilicet arduitatem illam quæ a potentia irascibili per se, et directe respicitur ut moderanda, et sic constituit speciem distinctam, transitque in conditionem objecti. Primo autem modo solum est circumstantia aggravativa, nullo vero modo quantitas per se solam constituit speciem, ut est accidens materiæ.

XVI. Idem dicimus de duratione, seu continuitate. Nam ut dicit S. Thomas 2-2, quæst. cxxviii, articulo unico ad quintum: « perseverantia secundum quod dicit continuitatem boni operis usque in finem, circumstantia omnis virtutis esse potest, ponitur autem pars fortitudinis, ut dictum est, » scilicet in corpore articuli, ubi dixerat quod perseverantia ponitur, ut ex diurna difficultate passione homo non fatigetur, usque ad hoc quod desistat. Et in quæstione cxxxvii, articulo primo, dicit: « Quod in virtute potest oriri difficultas ex duobus; uno modo ex ipsa specie actus, alio modo ex ipsa diurnitate temporis, nam hoc ipsum quod est diu insistere alicui difficili specialem difficultatem habet. » Manifeste ergo D. Thomas in istis sumit specialem rationem moralem

ex speciali ratione ardui, quam diurnitas, vel magnitudo possunt constituere, et sic non sunt circumstantiæ, nec sumuntur solum ut accidens consecutum, sed ut specialis formalitas ardui.

XVII. Ex his deducitur, quomodo circumstantia possit transire in conditionem objecti, et dare speciem essentialem, et quomodo possit dare speciem accidentalem, et denique quomodo possit intra eandem speciem addere, vel diminuere, non constituendo novam speciem, neque essentialem actui, neque accidentalem. Dicitur transire in conditionem objecti, et dare speciem essentialem, quando per se, et ratione sui dicit ordinem ad rationem, et regulatur, ac respicitur ab ipsa, et ita immediate convenit actui, ut non supponat aliam priorem bonitatem, vel malitiam moralem, sed constituat illam. Dicitur dare speciem accidentalem actui, quando ipsa circumstantia de se, et ratione sui speciem ordinem, vel repugnantiam dicit ad rationem, specialiterque ab ipsa respicitur, et de se habet sufficientem rationem, ut sit objectum, et det speciem essentialem, sed per accidens, quia supponit actum jam constitutum in specie, non dat essentialem, et primam malitiam, vel bonitatem, sed adjungitur illi, et sic remanet pro accidenti actus id quod de se specificativum est. Dicitur aggravare solum, vel minurare, quando ratione sui, et per se non respicitur a ratione, nec ab illa regulatur, sed semper supponendo aliquid prius, cujus adjunctum, et consecutum est, nec aliam considerationem de se habere potest, nisi ut adjuncti, et consecuti, ut supra explicavimus.

XVIII. Unde quando dicitur, quod objectum ut objectum nunquam potest dare speciem accidentalem, distinguo; si objectum exercent ratio-